




U-tinam ergo qui nos modo exercent, convertantur, et nobiscum exerceantur: tamen quamdiu ita sunt ut exerceant, non eos odérimus: quia in eo quod malus est quis eorum, utrum usque in finem perseveratúrus sit, ignoramus. Et plerúmque cum tibi vidéris odísse inimícum, fratrem odísti, et nescis. Diá-bolus, et angé-li eius in Scriptúris sanctis manifestá-ti sunt nobis, quod ad ignem aetérnum sint destinati. Ipsórum tantum desperánda est correcti-o, contra quos habémus occultam luctam: adquam luctam nos armat Apóstolus, dicens: Non est nobis collectá-ti-o adversus carnem et sánguinem: id est, non adversus hómines, quos vidétis, sed adversus príncipes, et potestátes, et rectóres mundi, tenebrárum harum. Ne forte cum dixisset, mundi, intelligeres daémones esse rectóres caeli et terrae. Mundi dixit, tenebrárum



harum: mundi dixit, amatórum mundi: mundi dixit, impi-órum et



i-niquórum: mundi dixit, de quo dicit Evangé-lium: Et mundus



eum non cognóvit.